



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Punctum Difficultatis 3. Quomodo influunt partes potentiarum divisibilium
in operationes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

vincit. Quia corpus nullo modo rigorose peccat, consequenter nec debet moveri motu proprio; rigorose enim anima peccat. Immo hæc instantia adhuc aliquomodo est pro nobis, quia ad actus sensuales, physice concurrunt corpus, Ergo & ad actiones peccaminosas, Physice debet concurrere anima.

OBJICIT II. Recentior Suarez. Quia sine necessitate admittitur hic concursus ipsius animæ.

RESPONDETUR. Necessitatem ejus desumi ex adlatis rationibus.

INSTAT I. Motus progressivus, sufficit quod imperetur à voluntate, & eliciatur immediate à potentia progressiva. Ergo non est necessarius concursus immediatus animæ.

RESPONDETUR. Medium terminum esse pro nobis. Nam ipsa voluntas imperat motum, influitque in illum per actum suum. Ergo & anima, idem facere debet. Rursus cum voluntas non ambulet, sufficit, ut motus eliciatur immediate à potentia progressiva: cum autem anima peccet, debet etiam producere immediate actum peccaminosum.

INSTAT II. Non est necessarius immediatus concursus animæ, ad actum peccaminosum, ad hoc, ut dicatur peccare. Quod ipsum probat. Aut enim anima peccat, per solum suum concursum partialem immediatum, aut etiam per concursum partialem voluntatis. Non per solum suum partialem immediatum concursum, quia hic non est liber, adeoque nec peccaminosus. Si per concursum voluntatis, iste non est immediate ab anima. Ergo anima potest peccare per concursum mediatum, non suum, sed suæ voluntatis.

RESPONDETUR. Hoc argumentum esse pro nobis, quia cum partiales isti concursus non denunt, nec sufficiant ad peccatum, cum tamen constet peccare animam, fit, ut anima per indistinctam voluntatem, debeat concurrere ad illos actus. In sententia autem quæ distingueret potentias, deberet dici, quod peccet anima per suum immediatum concursum, qui etiam est partialiter, immediate liber.

INSTAT III. Intellectio & volitio immediate in potentiis recipiuntur. Ergo & immediate ab illis causantur.

RESPONDETUR. Negando Antecedens, supposito quod hæc potentia, non distinguantur ab anima. Supposito autem quod distinguantur, Disparitas est, quia hoc quod proprio peccato peccat actualique non potest dici, quod peccet sine motu proprio, consequenter & anima, quæ proprio physice peccato peccat, debet agendo ad illud moveri. Non est autem necesse, ut aliquid dicatur immediate peccare, non est inquam necesse recipere in se peccatum, cum quamvis in voluntate non reciperetur, adhuc peccaret voluntas.

OBJICITUR III. Impugnando rationem conclusionis secundam. Potest excitari habitus qui non sit cognoscitivus, adducique ut agat una cum potentia, idque propter unionem & radicationem in eadem anima. Ergo etiam & voluntas, quantumvis non sit cognoscitiva, potest ad agendum excitari cognitione, in solo intellectu existente.

RESPONDETUR. Disparitatem esse. Quia habitus feruntur in incognitum, nec debent se determinare ut ad unam potius partem, quam ad aliam concurrant, quia sunt determinati non nisi ad similes actus. Jam autem voluntas non potest ferri in incognitum, debetque se determinare ad hanc potius, quam ad illam partem, quod fieri non posset si non esset, idem principium, volitivum & cognoscitivum.

INSTAT PONTIUS. Ignis calefacit, quamvis calefactio ab eo immediate non procedat, sed à calore ipsi inhaerente. Ergo etiam peccare poterit & anima, quamvis actus peccaminosus, v. gr. non procedat ab illa immediate.

RESPONDETUR. Disparitatem esse. Quia ad hoc ut dicatur ignis calefacere, sufficit ut se mortuo etiam modo habeat, cum illi tribui possit effectus, etiam non conjuncto cum calore, ut vidimus in physicis. Jam autem quod peccat, mortuo se modo, ad hoc, non debet habere. Si autem sola voluntas ageret, mortuo se modo ad hoc deberet habere anima. Quod autem dicit Pontius, sicut anima non concurrat immediate ad operationes, sed non nisi imperativè, sic etiam non punitur immediate, sed pœna immediate recipitur in potentiis, mediatè in anima. Id etiam non convincit. Quia phrasæ Patrum, sine restrictione docent, animam pati, animam damnari. Simpliciter autem dictum, Pati, supponit pro pati immediate. Deinde argumentum adlatum non in eo se fundabat, quomodo scilicet, & quare puniatur anima, sed in eo, quomodo non est idem principium cognoscitivum & volitivum, & in eo, quomodo peccet anima peccato actuali, sine actuali suo motu.

Punctum Difficultatis 3.

Quomodo influant partes animarum divisibilem, in Operationes?

EST hoc punctum Difficultatis, non nisi complementum materiæ, de concursu potentiarum, & est solutio argumenti, quod ostendit sufficere, quod intellectus eliciat cognitionem, & non anima. Est autem

ARGUMENTUM tale. Potentia hoc motiva residens in capite, movetur ex sensatione existente in pede v. gr. si pes percutiatur, & tamen non est idem principium sentiens illam dolorem, & movens. Ergo neque in creatura rationabili idem debet esse principium cognoscitivum & volitivum. Antecedens probatur. Distincta est pars animæ residens in capite, &

† (N) 3. resi-

residens in pede. Ergo non est idem principium movens & sentiens dolorem. Et titulus, & argumentum propositum, deponunt universalem resolutionem; An sensatio facta in hac parte, eliciatur à tota anima, divisibili, bruti.

DICENDUM est. *Sensationem factam in oculo v. gr. non exerceri ab anima bruti posita in pede.* Et universaliter sensationes animæ divisibilis, non fiunt ab anima tota. Ita Arriaga contra Oviedo.

PROBATUR I. Quia si abscindatur pes equo, vel auricula, vel alia pars sine qua vivere potest, æquè benè videret ante, quod cerre non fieret, si influxisset in visionem etiam pars animæ, quæ est abscissa cum pede. Quia diminutis causis, non ita intensus prodit effectus.

PROBATUR II. Quia vel illa sensatio tota producitur ab anima residente in oculo, & tota ab anima residente in pede; & hoc non, quia à duabus causis totalibus, naturaliter idem effectus prodire non potest à totalibus inquam, ejusdem rationis. Si autem eliciatur ita, ut quamvis anima quæ est in oculo, sola possit elicere visionem, nihilominus attemperet suum concursum, ut quæque locum agendi, etiam reliquis partibus, hoc dici non poterit, quia nullum fundamentum est asserendi, unde illa agentia moveatur, ad temperandum concursum. Rursus illæ partes non sunt æqualiter applicatæ; jam autem ex generali regula, quam advertit Arriaga, quando aliqua causæ, sunt inæqualiter applicatæ, quamvis vim habeant agendi, si tamen absit applicatio æqualis, censendus est produci, à causa, melius applicata.

CONFIRMATUR. Quia expressè dicit Oviedo. Ideo vivens majus corpore, non videre melius, viventi, quod est minus corpore, quia reliquæ partes habent sua munera, quæ exercent in pluribus partibus materiæ. Cur ergo non ita etiam occupat, & alligata ad munera in pede exercenda, ut non concurrat ad sensationes oculo faciendas.

PROBATUR III. Quia si anima existens in pede, concurrat ad eliciendam visionem, vel sua entitate immediatè informat oculum, cum illoque concurrat: & hoc non, quia aliàs in duplici loco esset, vel certè transfundit virtutem suam per medium, quæ postea sit elicitiva visionis cum oculo, & hoc non, quia tales virtutes non nisi illis agentibus concedi debent, quorum virtus, etiam separata à suo principio, agere potest, ac egisset unita: & ita conceditur igni calor, qui calefacit, separatus ab igne, quantitas materiæ, separata in Eucharistia, subiectat accidentia; jam autem nulla est virtus, quæ separata ab Entitate animæ, se sola, producat visionem. Non etiam potest elicere actionem, eamque transmittere in oculum; quia impossibile est transmitti actionem per medium, nihil agentem in medio, hoc enim ipso illa actio, non esset actio.

OBJICIT I. Oviedo. Anima bruti secundum se totam, est capax elicere visionem, constat enim partibus homogeneis. Rursus secundum

omnes partes, est sufficienter applicata ad visionem eliciendam, nec impeditur quod in pede existens, non habeat in pede organisationem oculi. Quod ipsum probatur. Quia agens divisibile non debet esse, immediatè applicatum passo, secundum omnes sui partes, sed sufficit ut habeat applicationem immediatam, ratione alicujus partis, mediatam ratione aliarum. Ergo idem dicendum de anima.

RESPONDET Arriaga, quod id verum sit, quando experientia adest, qualis experientia est, quod non solum partes conjunctæ ignis agant, sed & remotiores. Nam si remotiores dividantur, non fit tam intensa actio; experientia autem nulla est, quod concurrat pars animæ existens in pede ad visionem. Immo est experientia in oppositum ut vidimus, cum parte animæ abscissâ pede, non fiat ulla diminutio in videndo.

Aliter eidem objecti satisficit, quod procedat de operationibus inorganicis, non autem de organicis propter rationes adlatas.

OBJICIT II. Idem. Non impeditur anima bruti in pede existens defectu organi videndi. Ergo adhuc potens visionem elicere in oculo. Antecedens probatur. Quia organisatio se tenet ex parte subiecti, & non requiritur ex parte agentis, neque ratione principii activi, neque in illa parte, à qua fuit actio, sed in illa parte in qua recipitur, vel cui unitur illius terminus. Ergo visio recipienda in pupilla, etiam si producenda sit à tota anima, non requirit organisationem, quoad omnes partes immediatam.

RESPONDETUR. Negando Antecedens, quod scilicet organisatio requiratur ad solam recipiendam v. g. visionem, & non requiratur ad agendum, saltem tanquam necessarium prærequisitum, sine quo procedere non potest ad eliciendam actionem; aliàs anima videre posset independentem ab organo, & cum antecederet ad receptionem sensationis, jam sensatio sit materialis, debuit dari restrictivum animæ, ut illam materiale eliceret, quod restrictivum non ostendi, nisi concedatur, præter receptionem in subiecto materiali, esse aliquid prius, quod antecederet à parte principii etiam requisitum, restringat animam.

OBJICIT III. Argumentum prædictum quomodo in bruto, idem sit principium cognoscens, & movens.

RESPONDETUR. Communiter, à parte sentiente transmitti species ad cerebrum, ubi cognitiva brutorum refidet, quæ adjuncta speciebus, ut inquit Arriaga, transmissis, cognoscit objectum, quod prius anima senserat in pede, quæ etiam prout appetitus est, elicit actum, quo vult movere totum corpus, aut partem, proceditque ad motum nervorum ex cerebro per totum corpus diffusorum, quibus motis etiam anima in pede existens, movetur, g. pedem.

DIFFICULTAS II.

De Potentiis prout receptivis operationum.

Quæstio procedere potest, vel de operationibus materialibus, qualis est operatio phantasiæ, & sensuum, vel de immaterialibus nempe intellectu & voluntate.

DICEN-